



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 5. Mores Hispanorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

omnes desertæ fossorum inopiâ. Quod minus populosa sit effecere Coloniz per totum orbem sparsæ. Testes 20. millia Lusitanorum Goæ, 4. millia Hispanorum Mexici, sex M. Cusci in Peruvia, vt taceam arces vbique gentium excitatas; itémque nauigationes longinquas, quæ quantum hominum absument testantur nostræ vrbes maritimæ. Ante aliquot annos educere poterat Rex Hispaniæ 100. hominum armatorum millia: in bello Algeriano 500. naues instruxit, in Tunetensi 600. in expeditione Anglicanâ 300. naues armatas. Numerantur in Hispaniâ 1500. oppida murata, quorum vndecim Archiepiscopos, 65. Episcopos habent.

§. 4. Religio Hispaniæ.

EIVS supra reliquos Europæos fuere retinentes, ideóque vna ab hæresibus intacta est; ope maximè Inquisitionis quæ primùm in Mauros & Iudæos districta, in Hæreticos quoque laxata est. Ab eâ qui mulctantur induti veste quam *Sanbenito* vocant, raptantur ad supplicium cum iis ceremoniis, quæ populo terrorem incutiant.

§. 5. Mores Hispanorum.

LABORIS sunt, & inedia supra modum tolerantes, quibus hætenus multa præclara confecere. In militiâ ordinû retinentissimi, certissimi fistulatores, hastati loco moueri difficiles. Mirus eorum in Principem rémque publicam amor. Inuidiâ laborant apud omnes gentes, quod Imperij magnitudini tantùm tribuit Mariana. Nusquam gentium, quàm hîc, eruditioni præmia certiora: quamquam litteras humaniores iacere queratur Mariana. Neque minus certa militiæ præmia, quibus miles gregarius ad Imperium promoueri potest. Certè omnes ferè ex prouinciis, & arcibus diuites redeunt.

§. 6. Lingua Hispanorum.

PRÆCIPVA hîc Castellana ex corruptione Latini idiomatis. Lusitana ex Gallicâ, & Castellanâ temperata, ideóque elegans, & auribus grata. Valentina & Catalanica Narbonensi propior, in